





D. n. l. l.
zu
Fh 4014
81



1. A. Hasenmüller Historie
ordinis Jesuitici. Francofurti
1593.
2. Dinstbo Trutzf. Francofurti, 1594.
3. Jac. Goetseri Historie
ordinis Jesuitici. Ingolstadt
1594.
4. petri Stewart apologie
pro dei Jesuites. Ingolstadt
1594.






119

11





HENRICI MEIBOMI
Lemgouiensis

CENTO VERGILIANVS
DE
MONOMACHIA DAVIDIS
ISRAELITAE ET GOLIATHI
PHILISTAEI.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
cl^o 1^o LXXXIX.



HENRICO MEIBOMIO LEM-
gouienfi:

*Sint Meccœnates & erunt Henrice Maro-
nes:*

Et Maro Lippiaci tu potes esse soli:

Hermannus Neouualdus
Medicinæ D.



Excudit Jacobus Lucius, Anno
MDCLXXIX

MAGNIFICO, NOBILI,
AMPLISSIMOQVE VIRO,
DOMINO IACOBO CVRTIO,
SAC. ROMAN. IMPER. procan-
cellario dignissimo,

4E7

*Patrono, fautori & Domino suo colendo
S. D.*



Accipe, Cæsariæ decus & Flos nobilis
aulæ.
Vergilij VERNŌ textam de Flore co-
rollam:
Quam mihi Flora decens, quam Chloris, & innuba
Nexuit artificii dextra; tibi munus; Amoris (Pallas
Pignus, & Officij indicium. tu fertilis Horti
Hesperidum donis opulentus, ô inclute Curti,
Floribus his succos tenuis viresq; beatas
Suffice: ne nimius calor, aut penetrabile frigus
Humorem teneris radicibus extrahat omnem.
Sic Pomona decens, Hortinaq; diues amœnis
Fructibus æternùm tua largiter horrea ditet.

Henricus Meibomius Lemgou:
sis, acad. Iuliæ professor.

A 2

PARO-

PARODIA
ad
ODEN XXII. PRIMI LIBRI CARMIL-
NUM QV. HORATI FLACCI.

*Verba sunt Dauidis pugnaturi cum Gigante Golia-
tho, ad Saulum Iſrahelitarum
regem.*



*Nteger vita, Dominoq; fidens,
Non eget Regis clypeo, neque ense,
Nec venenatis grauida ſagittis
SAULE pharetra:*

*Sine pugnaces ruit in Philiſtas,
Sine ſecuros Babilonis vrget
Incolas, vel qua loca vorticoſus
Tigris inundat.*

*Namq; me ſulua catulus leane,
Dum greges paſco teneros, & hynnuna
Barbito curis meditor ſolutis,
Fugit inermem.*

*Quale portentum neq; bellicoſa
Heuila in ſyluis alit impeditis:
Terra nec Iudæ generat leonum
Horrida nutrit.*

*Mitte me latis ubi caſtra campis
Turpis Enaci ſuboles locauit:
Quod ſolum bello petulans & igni
Barbarus haurit:*

*Mitte in occurſum nimium propinqui
Hoſtis, & cades minitantis atras:
Tetra clamantem feriam Cyclopem,
Tetra rudentem.*

MONO.


MONOMACHIA DAVI-
DIS ET GOLIATHI.

AEn. 6.	H Gregium forma IUVVENEM , quo iustior alter	AEn. 1.
AEn. 1.		Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,
Ecl. 8.	Dicite Pierides: duros ut mille labores,	AEn. 8.
AEn. 9.	Ante annos animumq; gerens curamq; virilem,	AEn. 9.
AEn. 8.	perulerit, fidens animi, atq; in virumq; paratus,	AEn. 2.
AEn. 2.	Vlcisci patriam. seu certa occumbere morti.	AEn. 2.
Geor. 3.	Gens effrena virum, tot iam labentibus annis,	AEn. 2.
AEn. 7.	Agmen agens equitum, & florentis ære cateruas,	AEn. 11.
AEn. 6.	illustreis animas antiquæ ab origine gentis,	AEn. 1.
Geor. 4.	Magnanimosq; duces, & lamentabile regnum	AEn. 2.
AEn. 4.	(Horrendum dictu) lata dititione tenebat.	AEn. 7.
AEn. 7.	Et magis atq; magis, pubem & miserabile vulgus	AEn. 2.
AEn. 11.	Mœnibus in patrijs, longa sic morte necabat.	AEn. 8.
AEn. 6.	Causa mali tanti prisca vestigia fraudis.	Ecl. 4.
AEn. 3.	Effigies sacræ Diuûm, populumq; patresq;	AEn. 4.
AEn. 6.	His mersere malis, nec spes opis vlla dabatur.	AEn. 2.
AEn. 6.	Continuò audita voces, vagitus & ingens,	AEn. 6.
AEn. 4.	Lamentis gemituq; & fœmineo vlulatu	AEn. 9.
AEn. 4.	Tecta fremunt, resonant latè plangoribus ædes.	AEn. 12.
AEn. 5.	Ipsæ iam matres, pueri innuptaq; puella,	AEn. 6.
AEn. 1.	Suppliciter tristes, & rursæ pectora palmis,	AEn. 1.
AEn. 1.	Orantes veniam templum clamore petebant.	AEn. 1.
AEn. 4.	Audijt omnipotens rerum cui summa potestas,	AEn. 3.
AEn. 3.	Solamenq; mali claro demittit Olympo:	AEn. 4.
AEn. 1.	Conueniunt, quibus aut odium crudele Tyranni,	AEn. 1.
AEn. 1.	Aut metus acer erat, redit in præcordia virtus.	AEn. 1.

AEn. 3. Omnibus idem animus, quoniam data copia pugnae,
 AEn. 9. Et conferre manum, & sceleratam exscindere gentem,
 AEn. 7. Signaq; ferre iuuat sonitusq; audire tubarum.
 AEn. 9. Nec longum in medio tempus, cum tempore capto
 AEn. 9. Hostis adest, campiq; armis sublimibus ardent.
 AEn. 2. Primus ibi ante omnes campo sese arduus infert,
 AEn. 3. Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
 AEn. 8. Contemptorq; Deum, genus huic materna superbum
 AEn. 11. Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat.
 AEn. 9. Is primam ante aciem spe multum captus inani
 AEn. 9. Ibat, & ingenti sese clamore ferebat:
 AEn. 3. Immemores socij, quae vos fortuna quietos
 AEn. 11. Sollicitat, suadetq; ignota laceffere bella?
 AEn. 11. Quò ferrum, quidue hac geritis tela irrita dextra?
 AEn. 1. Tantane vos generis tenui fiducia vestri?
 AEn. 7. Bella viri pacemq; gerant, queis bella gerenda.
 AEn. 9. Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis,
 AEn. 9. Desidia cordi, solennes ducere pompas
 Geor. 3. Ad delubra iuuat, casosq; videre iuuenos.
 AEn. 1. Maturate fugam, regiq; haec dicite vestro:
 AEn. 9. Quos vltra muros, aut quae iam moenia habetis?
 AEn. 12. Ventum ad supremum est, totamq; à sedibus urbem
 AEn. 12. Ni frenum accipere & victi parere fatentur,
 AEn. 12. Eruam, & aqua solo fumantia cubnina ponam.
 AEn. 5. Talia dicta dabat, gressumq; in castra ferebat.
 AEn. 9. Talia iactantem dictis, ac dira canentem
 AEn. 5. Obstupuere animis, nec quisquam ex agmine tanto
 AEn. 5. Audet adire virum, & strieto concurrere ferro.
 AEn. 2. Diuerso interea miscentur moenia luctu,
 AEn. 11. Dirum exsecrantur bellum, nec iam amplius armis,
 AEn. 3. Sed votis precibusq; iubent exposcere pacem.
 AEn. 3. Postera iamq; dies primo surgebat Eoo,

AEn. 9.
 AEn. 9.
 AEn. 7.
 AEn. 11.
 AEn. 11.
 AEn. 9.
 AEn. 3.
 AEn. 11.
 AEn. 11.
 AEn. 11.
 AEn. 9.
 AEn. 11.
 AEn. 11.
 AEn. 11.
 AEn. 1.
 AEn. 7.
 AEn. 9.
 Geor. 3.
 Geor. 3.
 AEn. 3.
 AEn. 9.
 AEn. 2.
 AEn. 12.
 AEn. 12.
 AEn. 11.
 AEn. 9.
 AEn. 5.
 AEn. 10.
 AEn. 2.
 AEn. 3.
 AEn. 3.
 AEn. 3.

Turbidus

AEn. 10.	Turbidus ingreditur campo, quam magnus Orion,	AEn. 10.
AEn. 12.	Excisurum urbem minitans & faucibus instat.	AEn. 12.
AEn. 7.	At REX sollicitus, quando ipsum horrebat adire,	AEn. 11.
AEn. 1.	Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.	AEn. 1.
AEn. 3.	Hinc qui forse velint caput obiectare periculis	AEn. 3.
AEn. 3.	Inuitat precijs animos, & premia ponit.	AEn. 3.
AEn. 11.	Has inter voces, media inter talia verba,	AEn. 12.
AEn. 9.	Ora PVER prima signans intonsa iuuenta,	AEn. 9.
AEn. 1.	Ausus & afflictis melius considerare rebus,	AEn. 1.
AEn. 10.	Regem adit, & regi memorat nomenq; genusq;	AEn. 10.
AEn. 10.	Quidue petat, quidue ipse ferat, discrimine tanto?	AEn. 3.
AEn. 7.	Rex genus egregium scis ipse, & scire fateris,	AEn. 12.
AEn. 10.	Numina nulla premunt, mortali vrgemur ab hoste,	AEn. 10.
AEn. 9.	Solve metum, feret haec aliquam tibi fama salutem:	AEn. 1.
AEn. 8.	Nen belli terrere minis, timor omnis & ira	AEn. 8.
AEn. 8.	Concessere Dei, vires animumq; ministrat.	AEn. 9.
AEn. 11.	Me sine prima manu tentare pericula belli,	AEn. 11.
AEn. 12.	Stat conferre manum, cum primùm crastina caelo	AEn. 12.
AEn. 9.	Puniceis inuecta rotis aurora rubebit:	AEn. 12.
AEn. 9.	Mox hic cum spolijs ingenti cade peracta	AEn. 10.
AEn. 6.	Affore cernetis, nec me labor iste grauabit:	AEn. 2.
AEn. 2.	Vincit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.	AEn. 6.
AEn. 10.	Hac ubi dicta dedit, solio REX insit ab alto:	AEn. 11.
AEn. 2.	Quo moriture ruis, maioraq; viribus andes,	AEn. 10.
Ecl. 2.	O formose puer, non defensoribus istis	AEn. 2.
AEn. 2.	Tempus eget; fracti bello, fatisq; repulsi,	AEn. 2.
AEn. 11.	Supplicia & scelerum pœnas expendimus omnes.	AEn. 11.
AEn. 12.	Desine iam tandem, cum dura praelia gente	AEn. 11.
AEn. 11.	Inuictisq; viris gerimus, spes pacis inanes.	AEn. 10.
AEn. 9.	Ille sub hac: causas ne quicquam necis inanes,	AEn. 9.
AEn. 9.	Nec mea iam mutata loco sententia cedit.	AEn. 9.
AEn. 10.	Fata viam inuenient, sua cuiq; exorsa laborem	AEn. 10.

Fortu-

AEn. 10.	Fortunamq ₂ ferent, mihi iussa capescere fas est:	AEn. 1.
AEn. 12.	Maior agit Deus atq ₃ opera ad maiora remittit.	AEn. 12.
AEn. 6.	Atq ₂ huic responsum paucis ita reddidit HEROS:	AEn. 6.
AEn. 12.	O prestans animi iuuenis, quas dicere grates,	AEn. 11.
AEn. 11.	Quasue referre parem? si quid presentius audes	AEn. 12.
AEn. 12.	Perge decet. forsitan miseros meliora sequentur.	AEn. 12.
AEn. 2.	Quo res cunq ₂ cadunt, unum & commune periculum,	AEn. 2.
AEn. 3.	Iungemus dextras, ducis & tu concipe curam.	AEn. 11.
AEn. 6.	I decus in nostrum, melioribus utere fatis,	AEn. 6.
AEn. 9.	Spondeo digna tuis ingentibus omnia factis,	AEn. 9.
AEn. 4.	Si modo, quod memoras factum fortuna sequatur.	AEn. 4.
AEn. 11.	Tertia lux gelidam caelo dimouerat umbram,	AEn. 3.
AEn. 2.	Exoritur clamorq ₂ virum, clangorq ₂ tubarum:	AEn. 11.
AEn. 8.	Ecce furens animis aderat, nec plura moratus	AEn. 5.
AEn. 3.	Clamorem immensum tollit, iubet ocius omnes	AEn. 5.
AEn. 10.	Iussa aliena pati, & dominis parere superbis.	AEn. 12.
AEn. 9.	Agnouit IUVENIS gradientem & dira frementem,	AEn. 10.
AEn. 12.	Suspiciens caelum & superos sic voce precatur:	AEn. 11.
AEn. 10.	Omnipotens genitor superi regnator Olympi,	AEn. 2.
AEn. 10.	Namq ₂ aliud quid sit quod iam implorare queamus?	AEn. 10.
AEn. 12.	Respice res bello varias, iterum imminet hostis,	AEn. 10.
AEn. 10.	More furens torrentis aquae, vel turbinis atri,	AEn. 10.
AEn. 1.	Nos, tua progenies, caeli quibus annuis arcem,	AEn. 1.
AEn. 2.	Aspice nos hoc tantum, & si pietate meremur,	AEn. 2.
AEn. 11.	Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.	AEn. 11.
AEn. 7.	At iuueni oranti, fatis ingressus iniquis	AEn. 3.
AEn. 7.	Contemptor Divum infesta subit obuius hasta,	AEn. 10.
AEn. 4.	Huc illuc voluens oculos rotumq ₂ pererrat	AEn. 4.
AEn. 4.	Luminibus tacitis, verbiq ₂ haec insuper addit.	AEn. 11.
AEn. 6.	Heu miserande puer rerum oblite tuarum	AEn. 4.
AEn. 5.	Quis furor iste novus, quae te fortuna fatigat	AEn. 6.
AEn. 4.	Infelix, quae tanta animum dementia cepit?	AEn. 5.

Non

AEn. 6.	Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit,	AEn. 6.
AEn. 1.	Nunquam animam talem dextra hac, que maxima quondam,	AEn. 7.
AEn. 11.	Amittes, habitet tecum & sit pectore in isto.	AEn. 11.
AEn. 9.	Cetera parce puer bello monitisq; sinistris.	AEn. 10.
AEn. 10.	Substitit infremuitq; ferox, nec plura moratus	AEn. 5.
AEn. 1.	Talia voce refert: non me tua feruida terrent	AEn. 12.
AEn. 12.	Dicta ferox, nostro dirimatur sanguine bellum,	AEn. 12.
AEn. 11.	Huc periture veni, nunc belli finis & aui	AEn. 10.
AEn. 10.	His dabitur terris, funus crudele videbis,	AEn. 11.
AEn. 12.	Parcarumq; dies & vis inimica propinquat:	AEn. 12.
AEn. 7.	Te super aetherias errare licentius auras,	AEn. 7.
AEn. 7.	Haud pater ille velit, rerum cui summa potestas.	AEn. 10.
AEn. 10.	Ille autem impavidus, partes cunctatur in omnes,	AEn. 10.
AEn. 3.	Dentibus infrendens, totoq; ardentis ab ore	AEn. 12.
AEn. 12.	Scintille absistunt, oculis micat acribus ignis.	AEn. 12.
AEn. 7.	Tum quassans caput haec effudit pectore dicta:	AEn. 7.
Ecl. 3.	Quid domini facient audent cum talia fures?	Ecl. 3.
Ecl. 3.	Quin age si quid habes, si tantum pectore robur	AEn. 11.
AEn. 11.	Concipis, & si adeo dotalis regia cura est:	AEn. 11.
AEn. 6.	Iam iam nulla mora est, possit quid viuuda virtus	AEn. 11.
AEn. 11.	Experiare licet, nil me fatalia terrent,	AEn. 9.
AEn. 10.	Nec mortem horremus, nec Diuum parcimus ulli.	AEn. 10.
AEn. 12.	Hec ubi dicta dedit, validam vi corripit hastam,	AEn. 12.
AEn. 12.	Precipitatq; moras omnes, quassatq; irementem	AEn. 12.
AEn. 12.	Laetitia exultans, horrendumq; intonat armis.	AEn. 12.
AEn. 5.	Tum vero exarsit IUVENI dolor ossibus ingens,	AEn. 5.
AEn. 11.	Dat gemitum, rumpitq; has imo pectore voces:	AEn. 11.
AEn. 12.	Verte omnes te in facies, & contrabe quicquid	AEn. 12.
AEn. 12.	Siue animis siue arte vales, dabis improbe poenas.	AEn. 4.
AEn. 9.	Incipe, si qua animo virtus, & confere dextram	AEn. 9.
AEn. 10.	Aut spolijs ego iam raptis laudabor opimis,	AEn. 9.
AEn. 10.	Aut letho insigni, nullo discrimine habebō:	AEn. 10.

B

Tolle


AEn. 10. Tolle minas: fatus medium procedit in aquor:
 AEn. 12. Discessere omnes mediū, spaciumq; dedere.
 AEn. 9. Inde ter adducta circum caput egit habena
 AEn. 9. Stridentem fundam, & gemina inter tempora frontem
 AEn. 12. Disicit, & sparsa laeè rigat arma cruore:
 AEn. 9. Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
 AEn. 5. Hic I V V E N I S iam victor ouans, lapsumq; superstans
 AEn. 1. Talia voce refert: nostrasne euadere demens
 AEn. 9. Sperasti te posse manus? hac pramia qui me
 AEn. 12. Ferro ausi tentare ferent, sic mœnia condunt.
 AEn. 12. Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectere condit
 AEn. 12. Feruidus, aēt illi soluuntur frigore membra,
 AEn. 11. Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.


AEn. 10.
 AEn. 12.
 AEn. 11.
 AEn. 9.
 AEn. 12.
 AEn. 9.
 AEn. 10.
 AEn. 9.
 AEn. 12.
 AEn. 12.
 AEn. 12.
 AEn. 12.
 AEn. 12.
 AEn. 11.


F I N I S.











AB 155187


ULB Halle 3
004 053 923


Sb. f

61.







HENRICI MEIBOMI
Lemgouicnfis

CENTO VERGILIANVS

DE
MONOMACHIA DAVIDIS
ISRAELITAE ET GOLIATHI
PHILISTAEI.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
cl^o 1^o LXXXIX.

